Add[illegible]

[illegible]

COLECCION

DE

AUTORES SELECTOS LATINOS,

PARA

LAS CLASES DE LATINIDAD DE CENTRO-AMÉRICA,

ENTRESACADA DE LOS CLASICOS

POR

El Br. José Mariano Andrade,

CONGREGANTE DE SAN FELIPE NERI,

QUIEN LA DEDICA

A LA MISMA CONGREGACION DE QUE ES MIEMBRO.

GUATEMALA.

Imprenta de L. Luna, calle de la Providencia, N. 2.

1857.

A LA VENERABLE CONGREGACION

DE SAN FELIPE NERI,

COMO UN TRIBUTO

DE AMOR Y GRATITUD,

RESPETUOSA Y REVERENTEMENTE,

DEDICA ESTA OBRA

COMO FRUTO

DE SUS PRIMERAS TAREAS,

SU MAS HUMILDE HIJO

José Mariano Andrade.

PROLOGO.

Al dar á la prensa, la presente Coleccion, no me anima otro interes, que proporcionar á la juventud Guatemalteca, que se dedica en los primeros años de su edad, á la difícil tarea del aprendizaje de las lenguas antiguas, una reunion de fragmentos de los mejores clásicos latinos, á fin que, bebiendo, por decirlo así, en las fuentes mismas del lenguaje, lleguen por último á poseer con la perfeccion posible el de los Cicerones y Virgilios. Para conseguir este objeto, he procurado guardar un órden exacto en la colocacion de autores, procurando que los fáciles estén ántes de los mas difíciles.

Otro no menor objeto y quizá el principal, es procurar que á todos los jóvenes sea acsequible esta Coleccion, por un módico precio; pues entre éstos se encuentran algunos tan pobres, que no pueden conseguir sino á costa de mu-

L. C. F. LACTANTII

s:

o.

o.

t.

l.

Occidi matrem: seu ... l.

4 2 1 3 5 9 7 8 6
Id mea mors faciet, quod jam mea fecit origo.

IV Mus.

2 4 1 3 5 6 8 7
Parva mihi domus est: sed janua semper aperta.

3 2 5 1 4
Exiguo sumtu furtivâ vivo faginâ.
6 8 5 7 2 4
Quod mihi nomen inest, Romæ quòque Con-
1 3
sul habebat.

V Vespertilio.

1 4 2 3 7 5 6 8
Nox mihi dat nomen primo de tempore noctis.
1 4 2 3 5 8 9 6 7
Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis.
1 2 3 4 6 5 7
Desideo in tenebris, nec me committo diebus.

VI Phænix.

3 4 1 2 5 6 7 8
Vita mihi mors est; morior, si cœpero nasci:
1 4 3 2 8 5 7 6
Sed prius est fatum, lætæ quam lucis origo.
1 2 4 5 7 3 6
Sic solus manes ipsos mihi dico parentes.

VII Lupus.

6 7 1 2 3 4 5
Dentibus insanis, ego sum, qui vinco videntes.
3 2 1 4 5
Sanguineas prædas quærens, victusque cruentos,
8 6 7 12 9 11 10
Multa cum rabie, vocem quoque tollere possum.

VIII Capra.

2 3 1 6 4 5
Alma Jovis nutrix, longô vestita capillô,
5 3 1 4 6 2
Culmina difficili peragrans super ardua gressu,

2 3 5 1 4
Custodi pecoris tremulâ respondeo linguâ.

IX Mula.

1 2 5 3 4
Disimilis patri, matri diversa figurâ,
3 2 6 4 5 1
Confusi generis generi non apta propago,
2 3 1 4 5 6 7 8
Ex aliis nascor; nec quisquam nascitur ex me.

X Rosa.

2 1 3 6 4 5
Purpura sum terræ pulchro perfusa colore,
3 1 2 4 6 5 7
Septaque, ne violer, telis deffendor acutis,
1 2 6 3 4 5 7
O felix, longo si possem vivere fato!

XI Viola.

4 3 1 2 5 8 9
Magna quidem non sum: sed inest mihi ma-
7 6
xima virtus,
1 2 3 4 5 6 7
Spiritus est magnus, quamvis in corpore parvo.
1 4 2 3 5 6 7
Nec mibi germen habet noxam, nec culpa
8
ruborem.

XII Thus.

2 1 3 5 6 4
Dulcis odor nemoris flammâ, fumoque fatigor;
1 3 2 4 8 5 6
Et placet hoc Superis, medios quod mittor

7
in ignes,
1 4 6 5 2 3
Cum mihi præcandi meritum natura negarit.

XIII Mirrha.

4 5 6 7 8 2 3 1
De lacrymis et per lacrymas mea cœpit origo,
2 3 1 4 6 7 8 5
Ex occulis fluxi; sed nunc ex arbore nascor
2 1 3 6 4 5 7
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

XIV Capillus.

3 4 1 2 6 5
Findere me nulli possunt, præsidere multi,
1 2 3 6 5 4
Sed sum versicolor, albus quandòque futurus,
1 2 3 5 7 6 4
Malo manere niger: minùs ultima fata verebor.

XV Pecunia.

3 1 2 5 4 6
Terra fui primò latebris abscondita terræ:
3 4 5 1 6 2
Nunc aliud pretium flammæ nomenque dederunt.
1 3 3 2 4 7 8 5 6
Nec jam terra vocor, licèt ex me terra paretur.

1 3 2
XVI Mulier geminos pariens.

3 1 2 4 5 7 6
Plus ego sustinui, quam corpus debuit unum,
2 3 1 4 5 7 6
Tres animas habui, quas omnes intùs habebam;
2 1 3 4 7 5 6
Discessere duæ, sed tertia penè secuta est.

XVII Umbra.

2 3 1 4 5 6
Insidias nullas vereor de fraude latenti,
1 2 3 7 4 5 6
Nam Deus attribuit talis mihi munera formæ,
1 4 2 3 4 6 8 5
Quòd me nemo movet, nisi qui prius ipse
7
movetur.

XVIII Echo.

1 3 2 6 5 4 7
Virgo modesta nimis legem bene servo pudoris.
4 3 1 2 5 6 7 8
Ore procax non sum, nec sum temeraria lin-

guâ.
3 1 2 4 5 6 7
Ultrò nolo loqui: sed do responsa loquenti.

XIX Somnus.

5 6 1 4 2 3
Sponte meâ veniens varias ostendo figuras.
1 2 3 6 5 4
Fingo metus vanos nullo discrimine vero.
1 3 2 3 4 5 8 7 6
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

XX Monumentum.

2 1 3 5 7 6 4
Nomen habens hominis, post ultima fata remansi.
1 2 3 4 6 5 7
Nomen inane manet, sed dulcis vita profugit.
2 1 3 4 5 6 7
Vita tamen superest multis post tompora vitæ.

ENIGMATUM FINIS.

PHÆDRI AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI.

FABULÆ X.

FABULA I.

Lupus et Agnus.

Ad rivum eumdem Lupus et Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longèque inferior Agnus, Tunc fauce improvâ
Latro incitatus, jurgii causam intulit,
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Quî possum, quæso, facere quod quereris Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor,
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses malè, ait, dixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater, hercule, tuus, inquit maledixit mihi:
Atque ita correptum, lacerat injusta nece,
Hæc propter illos, scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FABULA II.

Vacca, Capella, Ovis et Leo.

Nunquam est fidelis cum potente societas,
Testatur hæc fabella propositum meum,
Vacca et Capella, et patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in saltibus,

Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo adfligetur, si quis quartam tetigerit,
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

FABULA III.

Lupus et Gruis.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat; primùm, quoniam indignos adjuvat;
Impunè deinde abire quia jam vix potest,
Os devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraheret malum,
Tandem persuasa est jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret premium:
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postules.

FABULA IV.

Asinus et Leo venantes.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui,
Venari Asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul
Ut insuetâ voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet, Hic auritulus

Clamorem subitum totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo:
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu
Cui postquam cæde fesus est, Asinum evocat,
Juvetque vocem premere, Tum ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meæ?
Insignis, inquit sic ut nisi nossem tuum
Animum, genusque, simili fugissem metu.

FABULA V.

Juveneus, Leo et Prædator.

Attende cur negare cupidis debeas.
Modestis etiam offerre quod non petierint,
Super Juvencum stabat dejectum Leo;
Prædator intervenit, partem postulans:
Darem, inquit nisi soleres per te sumere,
Et improvum rejecit. Fortè innoxius
Viator est deductus in eumdem locum,
Feroque viso, retulit retro pedem,
Cuí placidus ille. Non est quod timeas, ait,
Et quæ debetur pars tuæ modestiæ
Audacter tolle, Tunc, diviso tergore,
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsùs et laudabile,
Verùm est aviditas dives, et pauper pudor,

FABULA VI.

Musca et Mula.

Musca in temone sedit, et Mulam increpans:
Quam tarda! es inquit; non vis citiùs progredi?

Vide ne dolone collum compungam tibi,
Respondit illa: Verbis non moveor tuis,
Sed istum timeo, sellâ qui primâ sedens,
Jugum flagello temperat lento meum.
Et ora frenis continet spumantibus.
Quaprocter aufer frivolam insolentiam:
Namque ubi strigandum est, et ubi currendum, scio.
Hac derideri fabulâ meritò potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FABULA VII.

Pullus ad Margaritam.

In sterquilinio Pullus gallinaceus
Dum quærit scam, Margaritam repperit:
Jaces indigno quanta res, inquit, loco!
Te si quís pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristínum.
Ego, qui te invenit, potior cui multò est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes,
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FABULA VIII.

Æsopus Ludens.

Puerorum in turbâ quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus cùm vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potiùs quam deridendus senex,
Arcum retensum possuit in mediâ viâ:
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim,
Concurrit populus: ille se torquet diù,
Nec quæstionis positæ causam intelligit;

faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Kalendis Septembribus.

V.—M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.—Redditæ mihi tandem sunt á Cæsare litteræ satis liberales, et ipse opinione celerius venturus esse dicitur. Cui utrum obviam procedam, an hic eum exspectem; quum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. D. pridie idus Sext.

VI.—M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.—Si vales, bene est: valeo. Tullia nostra venit ad me pridie idus Junii: cujus summa virtute et singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, nostrâ factum esse negligentiâ, ut longè alia in fortuna esset, atque ejus pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæsarem mittere, et cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Vale.

VII.—M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.—Nec sæpè est, cui litteras demus: nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis litteris, quas proximè accepi, cognovi prædium nullum venire potuisse. Quare videas vellim, quomodo satisfiat ei, cui scis me satisfieri velle. Quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollucem: si adhuc non est profectus, quam primum fac extrudas, Cura ut valeas. Idibus Quint.

VIII.—M. T. C. Terentiæ suæ S. P. D.—Si valas benè est: ego valeo. Valetudinem tuam velim

cures diligentissimè. Nam mihi et scriptum et nuntiatum est, te in febrim subito incidisse. Quod celeriter me fecisti de Cæsaris litteris certiorem, fecisti mihi gratum. Item posthac, si quid opus erit, si quid acciderit novi, facies, ut sciam. Cura, ut valeas. Vale. D. VI nonas Jun.

IX.—M. T. C. Q. Philippo Procos. S. D.—Etsi non dubito, pro tua in me observantia, proque nostra necesstudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eumdem tibi L. Oppium, familiarem meum, præsentem, et L. Egnatii, familiarissimi mei, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me á te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratiùs facere nihil potes; idque ut facias, te vehementer rogo.

X.—M. T. C. Thermo Propr. S. D.—Quum multa mihi grata sunt, quæ tu adductus mea commmendatione fecisti; tum in primis, quod M. Marcilium, amici atque interpretis mei filium, liberalissime tractavisti. Venit enim Laodiceam, et tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, á te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes, operamque des, quoad fides tua patietur, ut socrus adolescentis rea ne fiat. Ego quum antea studiose commendabam Marcilium, tum multò nunc studiosius, quod in longa apparitione singularem et prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi. Vale.

CORNELII NEPOTIS

MILTIADES.

CAP. I.—Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, cùm et antiquitate generis, et gloriâ majorum, et suâ modestiâ unus omnium maximè floreret, eâque esset ætate, ut non jam solùm de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum qualem cognitum judicarunt, accidit ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus generis cùm magnus numerus esset, et multi ejus demigrationis peterent societatem, ex his delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent: id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso, Miltiades cum delectâ manu classe Chersonesum profectus, cùm accessisset Lemnum, et incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque ut Lemnii suâ sponte facerent postulasset, illi irridentes responderunt: tum id se facturos, cùm ille domo navibus proficiscens, vento aquilone venisset Lemnum. Hic enim ventus, a septentrionibus oriens, adversum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades, morandi tempus non habens, cursum direxit quò tendebat, pervenitque Chersonesum.

Cap. ii.—Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, totâ regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communivit; multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minùs in eâ re prudentiâ quàm felicitate adjutus est. Nam cùm virtute militum devicisset hostium exercitus, summâ æquitate res constituit: atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate regiâ, quamvis carebat nomine: neque id magis imperio quám justitiâ consecutus. Neque eò seciùs Atheniensibus, a quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, ut non minùs eorum voluntate perpetuò imperium obtineret qui miserant, quám illorum cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constitutâ, Lemnum revertitur, et ex pacto postulat ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, cùm vento Boreâ domo profectus eò pervenisset, sese dedituros: se autem domum Chersonesi haberi. Cares qui tum Lemnum incolebant, esti præter opinionem res ceciderat, tamen, non dicto sed secundâ fortunâ adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insulâ demigrarunt. Pari felicitate ceteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem.

Cap. iii.—Eisdem temporibus Persarum rex Darius, ex Asiâ in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Istro flumine, quà copias traduceret. Ejus pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia et Æolide duxerat: quibus sin-

gulis ipsarum urbium perpetua dederet imperia. Sic enìm putavit facillimè se græcâ linguâ loquentes, qui Asiam incolerent, sub suâ retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset, quibus se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, cùm crebri afferrent nuntii, malè rem gerere Darium, premique a Scythis. Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortunâ datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. Nam si cum his copiis, quas secum transportaverat, interiiset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos qui Asiam incolerent, Græci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id et facilè effici posse: ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopiâ paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium cùm plerique accederent, Histiæus Milesius, ne res conficeretur, obstitit, dicens: non idem ipsis qui summas imperii tenerent, expedire, et multitudini, quôd Darii regno ipsorum niteretur dominatio. Quo exstincto, ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeò se abhorrere a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius quám confirmari regnum Persarum. Hujus cùm sententiam plurimi essent secuti, Miltiades, non dubitans, tam multis consciis, ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit. Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda: cùm amicior omnium libertati quám suæ fuerit dominationi.

Cap. iv.—Darius autem, cùm ex Europâ in Asiam redisset, hortantibus amicis ut Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique Datim præfecit, et Artaphernem; hisque ducenta peditum millia et decem equitum dedit, causam interserens, se hostem esse Atheniensibus, quòd eorum auxilio Iones Sardes expugnassent; suaque præsidia interfecissent. Præfecti regii, classe ad Eubœam appulsâ, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti, auxilium nusquam, nisi a Lacedæmoniis, petiverunt; Philippidemque cursorem ejus generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret quám celeri opus, esset auxilio Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades: inter quos magna fuit contentio, utrùm mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent. Unus Miltiades maximè nitebatur, ut primo quoquè tempore castra fierent. Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cùm viderent de eorum virtute non desperari: et hostes eâdem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversùs se tam exiguis copiis dimicare.

Cap. v.—Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit præter Platæensium: ea mil- misit militum. Itaque horum adventu decem mille

lia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est ut plus quàm collegæ Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt; locoque idoneo castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus, acie e regione instructâ, novâ arte, vi summâ prælium commiserunt. Namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, ut et montium tegerentur altitudine et arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non æquum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eòque magis, quòd, priusquam Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, prœliumque commisit. In quo tantò plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent: adeôque perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves petierint, Quâ pugnâ nihil adhuc est nobilius. Nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes postravit.

Cap. vi.—Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere; quò faciliùs intelligi possit eamdem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas, totamque Græciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Ma-

rathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, et largitione magistratuum corruptus est, treecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit.

Cap. vii.—Post hoc prælium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas quæ barbaros adjuverant bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam, opibus elatam, cùm oratione reconciliare non posset, copias é navibus eduxit, urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit; deinde vineis ac testudinibus constitutis, propiùs muros accessit. Cùm jam in eo esset, ut oppido potiretur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est; cujus flamma ut ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regis datum. Quo factum est, ut et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades, timens ne classis regia adventaret, incensis operibus quæ statuerat, cum totidem navibus atque erat profectus, Athenas magnâ cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd, cùm Parum expugnare posset, a rege corruptus, infectis rebus a pugnâ discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque, quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater ejus Tisagoras. Causâ cognitâ, capitis absolutus, pecuniâ multatus est, eaque lis quinqua-

ginta talentis æstimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd solvere non poterat, in vincula publica conjectus est, ibique diem obiit supremum.

CAP. VIII.—Hic, etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses, propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis antè fuerat, omnium suorum civium potentiam extimescebant. Miltiades, multùm in imperiis magistratibusque versatus, non videbatur posse esse privatus; præsertim cùm consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi, omnes illos quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat apellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetuâ in eá civitate, quæ libertate usa est. Sed in Miltiade, erat cùm summa humanitas, tùm mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quám se diutiùs esse in timore.

C. JULII CÆSARIS

COMMENTARIUM
EX LIBRO PRIMO

CAP. X.

CAP. I.—Litteris a Fabio C. Cæsaris consulibus redditis, ægrè ab iis impetratum est, summâ tribunorum plebis contentione, ut in senatu recitarentur. Ut verò ex litteris ad senatum referretur, impetrare non potuît. Referunt consules de republicâ in civitate. L. Lentulus consul senatui reique publicæ se non defuturum pollicetur, si audacter ac fortiter sententias dicere velint: sin Cæsarem respiciant, atque ejus gratiam sequantur, ut superioribus fecerint temporibus, se sibi consilium capturum, neque senatûs auctoritati obtemperaturum: habere se quoque ad Cæsaris gratiam atque amicitiam receptum. In eamdem sententiam loquitur Scipio, Pompeio esse in animo reipublicæ non deesse, si senatus sequatur: sin cunctetur, atque agat leniùs, nequidquam ejus auxilium, si postea velit, imploraturum. Hæc Scipionis oratio, quod senatus in urbe habebatur, Pompeiusque aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti videbatur.

CAP. II.—Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primò M. Marcellus; ingressus in eam orationem, non opportere ante de republicâ ad senatum referri, quàm delectus totâ Italiâ habiti, et exerci-

tus conscripti essent, quo præsidio tutò et liberè senatus, quæ vellet, decernere auderet: ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in suas provincias profisceretur, ne qua esset armorum causa: timere Cæsarem, abreptis ab eo duabus legionibus, ne ad ejus periculum reservare, et retinere eas ad urbem Pompeius videretur. Ut M. Rufus, qui sententiam Calidii, paucis ferè mutatis verbis, sequebatur. Ii omnes convicio L. Lentuli consulis correpti exagitabantur Lentulus sententiam Calidii pronuntiaturum se omnino negavit. Marcellus perterritus conviciis, a suâ sententiâ discessit: Sic vocibus consulis, terrore præsentis exercitùs, minis amicorum Pompeii plerique compulsi, inviti et coacti, Scipionis sententiam sequuntur: «Uti ante certam diem Cæsar exercitum dimittat; si non faciat, eum adversus rempublicam facturum videri.» Intercedunt M. Antonius, Q. Cassius, tribuni pl. Refertur confestim de intercessione tribunorum: dicuntur sententiæ graves: ut quisque acerbissimê crudelissimèque dixit, ita quàm maximè ab inimicis Cæsaris collaudatur.

Cap. iii.—Misso ad vesperum senatu, omnes, qui sunt ejus ordinis, á Pompeio evocantur. Laudat promptos, atque in posterum confirmat; segniores castigat, atque incitat. Multi undique ex veteribus Pompeii exercitibus, spe præmiorum atque ordinum evocantur; multi ex duabus legionibus, quæ sunt traditæ a Cæsare, arcessuntur. Completur urbs. Ad jus comitiorum tribunos pleb. C. Curio evocat. Omnes amici consulum, necessarii Pompeii, atque eorum, qui veteres inimi-

citias cum Cæsare gerebant, coguntur in senatum, quorum vocibus et concursu terrentur infirmiores, dubii confirmantur; plerisque verò liberè potestas decernendi eripitur. Pollicetur L. Piso censor, sese iturum ad Cæsarem, item L. Roscius prætor, qui de his rebus eum doceant. Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant. Dicuntur etiam á nonnullis sententiæ, ut legati ad Cæsarem mittantur, qui voluntatem senatûs ei proponant. Omnibus his resistitur; omnibusque oratio consulis, Scipionis, Catonis opponitur. Catonem veteres inimicitiæ Cesaris incitant, et dolor repulsæ. Lentulus æris alieni magnitudine, et spe exercitûs, ac provinciarum, et regnum appellandorum largitionibus movetur: seque alterum fore Syllam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat. Scipionem eadem spes provinciæ atque exercituum impellit, quos se pro necessitudine partiturum cum Pompeio arbitratur: simul judiciorum metus, adulatio, atque ostentatio sui, et potentium, qui in republicâ judiciisque tum plurimùm pollebant. Ipse Pompeius ab inimicis Cæsaris incitatus, et quod neminem dignitate secum exæquari volebat, totum se ab ejus amicitiâ averterat, et cum communibus inimicis in gratiam redierat, quorum ipse maximam partem illo affinitatis tempore adjunxerat Cæsari. Simul infamiâ duarum legionum permotus, quas ab itinere Asiæ, Syriæque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

Cap. iv.—His de causis aguntur omnia raptim, atque turbatè; neque docendi Cæsaris pro-

pinquis ejus spatium datur, nec tribunis plebis sui periculi deprecandi, neque etiam extremi juris intercessione retinendi, quòd L. Sylla reliquerat; facultas tribuitur; sed de suâ salute die septimâ cogitare coguntur; quòd illi turbulentissimi superioribus temporibus tribuni pl. octavo denique mense suarum actionum respicere ac timere consueverant. Decurritur ad illud extremum atque ultimum S. C., quò, nisi penè in ipso urbis incendio atque desperatione omnium salutis, latorum audaciâ, nunquam ante discessum est: «Dent operam consules, prætores, tribuni pl., quique pro consulibus sunt ad urbem, ne quid resp. detrimenti capiat.» Hæc S. C. præscribuntur ad septimum Id. Januarii. Itaque, quinque primis diebus quibus haberi senatus potuit, quo ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, et de imperio Cæsaris, et de amplissimis viris tribunis plebis, gravissimè acerbissimèque decernitur. Profugiunt statim ex urbe tribuni plebis, seseque ad Cæsarem conferunt. Is eo tempore erat Ravennæ, exspectabatque suis lenissimis postulatis responsa, si quâ hominum æquitate res ad otium deduci posset.

Cap. v.—Proximis diebus habetur senatus extra urbem: Pompeius eadem illa, quæ per Scipionem ostenderat, agit. Senatûs virtutem constantiamque collaudat, copias suas exponit, legiones habere sese paratas decem. Præterea cognitum, compertumque sibi, alieno esse animo in Cæsarem milites, neque iis posse persuaderi, ut eum defendant aut sequantur. De reliquis rebus ad se-

natum refertur; totâ ut Italiâ delectus habeatur; Faustus Sylla pro prætore in Mauritaniam mittatur, pecunia ut ex ærario Pompeio detur. Refertur etiam de rege Jubâ ut socius sit, atque amicus: Marcellus verò passurum se in præsentia negat. De Fausto impedit Philippus tribunus plebis. De reliquis rebus S. C. perscribuntur. Provinciæ privatis decernuntur; duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obvenit Syria: L. Domitio Galia: Philippus et Marcellus privato consilio prætereuntur, neque eorum sortes ejiciuntur. In reliquas provincias prætores mittuntur, neque exspectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatique, votis nuncupatis, exeant. Consules, quod ante id tempus acciderat nunquam, ex urbe proficiscuntur; lictoresque habent in urbe et Capitolio privati, contra omnia vetustatis exemplâ. Totâ Italiâ delectus habetur, arma imperantur pecuniæ a municipiis exiguntur, et e fanis tolluntur; omnia divina et humana jura permiscentur. Quibus rebus cognitis, Cæsar apud milites concionatur. Omnium temporum injurias inimicorum in se commemorat, a quibus diductum et depravatum Pompeium queritur invidiâ atque obtrectatione laudis suæ, cujus ipse honori et dignitati semper faverit, adjutorque fuerit. Novum in rempublicam introductum exemplum queritur, ut tribunitia intercessio armis notaretur, atque opprimeretur, quæ superioribus annis esset restituta. Syllam, nudatâ omnibus rebus tribunitiâ potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse; Pom-

peium, qui amissa restituisse videatur, dona etiam quæ ante habuerat, ademisse, quotiescumque sit decretum: DARENT MAGISTRATUS OPERAM, NE QUID RESP. DETRIMENTI CAPERET: quâ voce et quo senatusconsulto populus romanus ad arma sit vocatus, factum in perniciosis legibus in vi tribunitiâ, in secessione populi, templis, locisque editoribus occupatis (atque hæc superioris ætatis exempla expiata Saturnini atque Gracchorum casibus docet); quarum rerum illo tempore nihil factum, ne cogitatum quidem; nulla lex promulgata; non cum populum agi cœptum; nulla secessio facta. Hortatur cujus imperatoris ductu novem annis rempublicam felicissimè gesserint, plurimaque prælia secunda fecerint, omnem Galliam, Germaniamque pacaverint, ut ejus existimationem, dignitatemque ab inimicis defendant. Conclamant legionis tertiæ decimæ, quæ aderat milites (hanc enim initio tumultùs evocaverat; reliquæ nondum convenerant), sese paratos esse imperatoris sui, tribunorumque plebis injurias defendere.

Cap. vi.—Cognitâ militum voluntate, Ariminum cum eâ legione proficiscitur: ibique tribunos plebis, qui ad eum confugerant, convenit: reliquas legiones ex hibernis evocat, et subsequi jubet. Eò L. Cæsar adolecèns venit; cujus pater Cæsaris erat legatus. Is, reliquo sermone confecto, cujus rei causâ venerat, habere se a Pompeio ad eum privati officii mandata demonstrat: «Velle Pompeium se Cæsari purgatum, ne ea, quæ reipublicæ causâ egerit, in suam contumeliam vertat; semper

se reipublicæ commoda privatis necessitatibus habuisse potiora; Cæsarem quoque pro suâ dignitate debere et studium et iracundiam suam reipublicæ dimittere, neque adeò graviter irasci inimicis, ne, cùm illis nocere se speret, reipublicæ noceat.» Pauca ejusdem generis addit, cum excusatione Pompeii conjuncta. Eadem fere, atque iisdem de rebus prætor Roscius agit cum Cæsare, sibique Pompeium commemorasse demonstrat. Quæ res etsi nihil ad levandas injurias pertinere videbantur, tamen idoneos nactus homines, per quos ea, quæ vellet, ad eum perferrentur, petit ab utroque, quoniam Pompeii mandata ad se detulerint, ne graventur sua quoque ad eum postulata deferre, si parvo labore magnas controversias tollere, atque omnem Italiam metu liberare possent: «sibi semper reipublicæ primam fuisse dignitatem, vitâque potiorem: doluisse se, quòd populi rom. beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque semestri imperio, in urbem retraheretur, cujus absentis rationem haberi proximis comitiis populus jussisset, tamen hanc honoris jacturam sui reipublicæ causâ æquo animo tulisse: cùm litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus discederent, ne id quidem impetravisse: totâ Italiâ delectus haberi, retineri legiones duas, quæ ab se simulatione Parthici belli sint abductæ: civitatem esse in armis. Quonam hæc omnia, nisi ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad omnia se descendere paratum, atque omnia pati reipublicæ causâ. Proficiscatur Pompeius in suas provincias: ipsi exercitus dimittant: discedant in

Italiâ omnes ab armis: metus e civitate tollatur: libera comitia, atque omnis respublica senatui populoque romano permittatur. Hæc quô facilius, certisque conditionibus fiant, et jurejurando sanciantur, aut ipse propriùs accedat, aut se patiatur accedere. Fore, uti per colloquia omnes controversiæ componantur.»

Cap. vii.—Acceptis mandatis, Roscius cùm L. Cæsarè Capuam pervenit, ibique consules Pompeiumque invenit. Postulata Cæsaris renuntiat. Illi re deliberatâ respondent, scriptaque ad eum mandata per eos remittunt, quorum hæc erat summa: «Cæsar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, exercitus dimitteret. Quæ si fecisset, Pompeium in Hispanias iturum. Interea, quoad fides esset data, Cæsarem facturum que polliceretur, non intermissuros consules Pompeiumque delectus.» Erat iniqua conditio postulare ut Cæsar Arimino excederet, atque in provinciam reverteretur; ipsum et provincias, et legiones alienas tenere: exercitum Cæsaris velle dimitti; delectus habere: pollicere se in provinciam iturum, neque ante quem diem iturus sit definire, ut, si peracto Cæsaris consulatu Pompeius profectus non esset, nullâ tamen mendacii religione obstrictus videretur. Tempus verò colloquio non dare, neque accessurum polliceri, magnam pacis desperationem afferebat. Itaque ab Arimino M. Antonium cum cohortibus quinque. Arretium mittit; ipse Arimini cum duabus legionibus subsistit, ibique delectum habere instituit. Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat. Interea certior

factus, Iguvium Thermum pretorem cohortibus quinque tenere, oppidum munire, omniumque esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem, Curionem cum tribus cohortibus, quas Pisauri et Arimini habebat, mittit. Cujus adventu cognito, diffisus municipii voluntati Thermus, cohortes ex urbe educit, et profugit; milites in itinere ab eo discedunt, ac domum revertuntur. Curio, omnium summâ voluntate, Iguvium recipit. Quibus rebus cognitis, confisus municipiorum voluntatibus Cæsar, cohortes legionis tertiædecimæ ex præsidiis deducit, Auximumque proficiscitur, quod oppidum Actius, cohortibus introductis, tenebat, delectumque, toto Piceno, circummissis senatoribus, habebat. Adventu Cæsaris cognito, decuriones Auximi ad Actium Varum frequentes conveniunt: docent: «sui judicii rem non esse, neque reliquos municipes pati posse, C. Cæsarem imperatorem bene de republicâ meritum, tantis rebus gestis, oppido, mœnibusque prohiberi: proinde habeat rationem posteritatis, et periculi sui.» Quorum oratione permotus Actius Varus, præsidium quod introduxerat ex oppido educit, et profugit. Hunc ex primo ordine pauci Cæsaris consecuti milites, consistere cogunt: commissoque prælio deseritur a suis Varus; nonnulla pars militum domum discedit: reliqui ad Cæsarem perveniunt: atque unà cum iis deprehensus L. Pupius primipili centurio adducitur, qui hunc eumdem ordinem in exercitu Cn. Pompeii antea, duxerat. At Cæsar milites Actianos collaudat. Pupium dimittit, Auximatibus agit gratias, seque eorum facti memorem fore pollicetur.

CAP. VIII.—Quibus rebus, Romam nuntiatis, tantus repentè terror invasit, ut cùm Lentulus consul ad aperiendum ærarium venisset, ad pecuniam Pompeio ex senatus consulto proferendam, protinus, aperto sanctiore ærario, ex urbe profugeret. Cæsar enim adventare, jam jamque et adesse ejus equites, falsò nuntiabatur. Hunc Marcellus collega, et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie ejus diei ex urbe profectus, iter ad legiones habebat, quas à Cæsare acceptas in Apuliâ hibernorum causâ disposuerat. Delectus intra urbem intermittuntur. Nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuæ primùm sese confirmant, et colligunt, delectumque colonorum, qui lege Juliâ Capuam deducti erant, habere instituunt; gladiatoresque, quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos, Lentulus libertate confirmat, atque iis equos attribuit, et sè sequi jussit: quos postea, monitus a suis, quòd ea res omnium judicio reprehendebatur, circùm familiares conventus Companiæ, custodiæ causâ, distribui. Auximo Cæsar progressus, omnem agrum Picenum percurrit. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentissimis animi eum recipiunt, exercitumque ejus omnibus rebus juvant. Etiam Cingulò, quod oppidum Labienus constituerat, suâque pecuniâ exædificaverat, ad eum legati veniunt; quæque imperaverit, sese cupidissimè facturus pollicentur. Milites imperat; mittunt. Interea legio duodecima Cæsarem consequitur; cum his duabus Asculum Picenum proficiscitur. Id oppidum Lentulus Spinther decem cohortibus tenebat: qui, Cæ-

saris adventu cognito, profugit ex oppido, cohortesque secum abducere conatus, a magnâ parte militum deseritur. Relictus in itinere cum paucis, incidit in Vibullium Rufum, missum a Pompeio in agrum Picenum, confirmandorum hominum causâ. A quo factus Vibullius certior, quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo accipit, ipsum dimittit. Item ex finitimis regionibus, quas potest, contrahit cohortes ex delectibus Pompeianis. In iis Camerino fugientem Ulcillem Hirrum, cum sex cohortibus, quas ibi in præsidio habuerat, excipit. Quibus coactis, tredecim efficit. Cum iis ad Domitium Ahenobarbum Corfinium magnis itineribus pervenit, Cæsaremque adesse cum legionibus duabus nuntiat. Domitius per se circiter viginti cohortes ex Alba, ex Marsis, et Pelignis, et finitimis ab regionibus coegerat. Recepto Asculo, expulsoque Lentulo, Cæsar conquiri milites, qui ab eo discesserant, delectumque institui jubet. Ipse unum diem ibi, rei frumentariæ causâ, moratus, Corfinium contendit. Eò cùm venisset, cohortes quinque præmissæ a Domitio ex oppido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia passuum circiter tria. Ibi cum antecursoribus Cæsaris prælio commisso, celeriter Domitiani a ponte repulsi, se in oppidum receperunt; Cæsar, legionibus transductis, ad oppidum constitit, juxtaque murum castra posuit. Re cognitâ Domitius ad Pompeium in Apuliam peritos regionum magno proposito præmio cum litteris mittit; qui petant, atque orent, ut sibi subveniat: «Cæsarem duobus exercitibus, et locorum angustiis fa-

cilè intercludi posse, frumentoque prohiberi. Quod nisi fecerit, se cohortesque amplius triginta, magnumque numerum senatorum atque equitum romanorum in periculum esse venturum.» Interim suos cohortatus, tormenta in muris disponit, certasque cuique partes ad custodiam urbis attribuit; militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur, quaterna in singulos jugera, et pro ratâ parte centurionibus, evocatisque.

CAP. IX.—Interim Cæsari nuntiatur, Sulmonenses, (quod oppidum a Corfinio septem millium intervallo abest) cupere ea facere quæ vellet; sed a Q. Lucretio senatore, et Actio Peligno prohiberi, qui id oppidum septem cohortium præsidio tenebant. Mittit eò M. Antonium cum legionis septimæ cohortibus quinque. Sulmonenses, simul atque nostra signa viderunt, portas aperuerunt, ut universique et oppidani, et milites obviam gratulantes Antonio exierunt. Lucretius et Actius de muro se dejecerunt. Actius ad Antonium deductus petit, ut ad Cæsarem mitteretur. Antonius cum cohortibus et Actio, eodem die quo profectus erat, revertitur. Cæsar eas cohortes cum exercitu suo conjunxit, Actiumque incolumen dimisit. Cæsar tribus primis diebus castra magnis operibus munire, et ex finitimis municipiis frumentum comportare, reliquasque copias exspectare instituit. Eo triduo legio octava ad eum venit, cohortesque ex novis Galliæ delectibus viginti duo, equitesque a rege Norico circiter trecenti, quorum adventu altera castra ad alteram oppidi partem ponit. Iis castris Curionem præfecit. Reliquis

diebus oppidum vallo, castellisque circummœnire instituit; cujus operis maximâ parte effectâ, eodem ferè tempore missi ad Pompeium revertuntur. Litteris perlectis, Domitius dissimulans in consilio pronuntiat, Pompeium celeriter subsidio venturum: hortaturque eos, ne animo deficiant, quæque usui ad defendendum oppidum sint, parent. Ipse arcanò cum paucis familiaribus suis colloquitur, consiliumque fugæ capere constituit. Cùm vultus Domitii cum oratione non consentiret, atque omnia trepidantiùs, timidiùsque ageret quàm superioribus diebus consuesset, multùmque cum suis consiliandi causâ secretò, præter consuetudinem, colloqueretur, concilia, conventusque hominum fugeret, res diutiùs tegi, dissimularique non potuit. Pompeius enim rescripserrat, «sese rem in summum periculum deducturum non esse, neque suo consilio aut voluntate Domitium se in oppidum Corfinium contulisse. Proinde, si qua facultas fuisset, ad se cum omnibus copiis veniret» Id ne fieri posset; obsidione atque oppidi circummunitione fiebat.

Cap. x.—Divulgato Domitii consilio, milites, qui erant Corfinii, primâ vesperâ secessionem faciunt, atque ita inter se per tribunos militum centurionesque, atque honestissimos sui generis, colloquuntur: «obsideri se a Cæsare; opera, munitionesque prope esse perfectas: ducem suum Domitium, cujus spe atque fiduciâ permanserint, projectis omnibus, fugæ consilium capere: debere se suæ salutis rationem habere.» Ab iis primò Marsi dissentire incipiunt, eamque oppidi partem, quæ

munitissima videretur, occupant; tantaque inter eos dissensio exstitit, ut manum conserere, atque armis dimicare conarentur. Post paulò tamen, internuntiis ultrò citroque missis, quæ ignorabant de L. Domitii fugâ, cognoscunt. Itaque omnes uno consilio Domitium productum in publicum circumsistunt, et custodiunt, legatosque ex suo numero ad Cæsarem mittunt: «sese paratos esse portas aperire, quæque imperaverit facere, et L. Domitium vivum in ejus potestatem tradere.» Quibus rebus cognitis, Cæsar, etsi magni interesse arbitrabatur quamprimum oppido potiri, cohortesque ad se in castra transduceret, ne qua aut largitionibus, aut animi confirmatione, aut falsis nuntiis, commutatio fieret voluntatis, quòd sæpe in bello parvis momentis magni casus intercederent, tamen veritus ne militum introitu, et nocturni temporis licentiâ, oppidum diriperetur, eos, qui venerant, collaudat, atque in oppidum dimittit: portas murosque asservari jubet. Ipse iis operibus, quæ facere instituerat, milites disponit, non certis spatiis intermissis, ut erat superiorum dierum consuetudo, sed perpetuis vigiliis, stationibusque, ut contingant inter se, atque omnem munitionem expleant: tribunos militum et præfectos circummittit, atque hortatur, non solùm ab eruptionibus caveant, sed etiam singulorum hominum occultos exitus asservent. Neque verò tam remisso ac languido animo quisquam omnium fuit, qui eâ nocte conquieverit. Tanta erat summa rerum exspectatio, ut alius in aliam partem mente atque animo traheretur, quid ipsis Corfiniensibus, quid Domi-

Ille, quid Lentulo; quid reliquis accideret, qui quosque juventus exciperet.

EX C. C. SALLUSTII

HISTORIARUM

FRAGMENTIS.

I.—*M. Æmilii Lepidi consulis ad P. R. Oratio contra Sullam.*

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per cæteras gentes maxumi et clari estis, pluris timoris mihi faciunt, adversus tyrannidem L. Sullæ, ne ipsi nefanda quæ æstumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini (præsertim quum illi spes omnis in scelere atque perfidiâ sit; neque se aliter tutum putet, quàm si pejor atque intestabilior metu vestro fuerit, quò captivis libertatis curam miseria eximat); aut si provideritis, in tutandis periculis magis, quàm in ulciscendo teneamini. Satellites quidem ejus, homines maxumi nominis, optumis majorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis in vos servitium suum mercedem dant; et utrumque per injuriam malunt, quàm optumo jure liberè agere, præclara Brutorum atque Æmiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ majores virtute peperere, subvertunda! Nam quid a Pyrrho, Annibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quàm libertas, et suæ cuique sedes, neu cui, nisi legibus,

pateremur? Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet; non tot exercituum clade, neque consulis et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus; sed tum crudelior, quum plerosque secundæ res in miserationem ex irâ vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit, quis priús injuria, quàm vita certa esset; pravissumèque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuerit, dum vos, metu gravioris servitii, a repetundâ libertate terremini.

«Agendum atque obviàm eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illum sint; non prolatandum, neque votis paranda auxilia: nisi fortè speratis, per tædium jam aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata periculosiùs dimissurum. At ille eò processit, uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta existumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quæ multi probi potiùs, quàm laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt. Hâc tempestate serviundum, aut imperitandum; habendus metus, aut faciundus, Quirites. Nam quid ultrà? quæve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus romanus, paulò antè gentium moderator, exutus imperio, gloriâ, jure, agitandi inops, despectusque, ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum et Lati magna vis civitate, pro multis et egregiis factis a vobis datâ, per unum prohibentur: et plebis innoxiæ patrias sedes occupaverè pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes

usum; denique necis civium et vitæ licentia: simul humanas hostias vidistis, et sepulcra infecta sanguini civili. Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura, vel ferro septis, statuit; neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat.

«Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror; et bellum cupiens, qui jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint; nisi approbaveritis omnes proscriptiones innoxiorum ob divitias; cruciatus virorum illustrium; vastam urbem fugà et cædibus; bona civium miserorum, quasi Cimbricam prædam, venum aut dono datam. At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si rectè faceremus. Atque illa, quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto, jure dominis tamen restituo; neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta toleravimus: manus conserentes inter se romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit: quorum adeò Sullam non pœnitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit. Neque jam quid existumetis de illo, sed quantùm vos audeatis, vereor; ne, alius alium principem exspectantes, antè ca-

plamini; (non opibus ejus, quæ futiles et corruptæ sunt, sed vestrâ socordiâ), quùm captum ire licet et quùm audeat, tam videri felicem. Nam præter satellites commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victorem? Scilicet milites, quorum sanguine Tarrulæ Scyrtoque, pessumis servorum, divitiæ partæ sunt. An quibus prælatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera et labores nihil, præter tyrannum, quæsitum est. Nisi fortè tribunitiam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam a majoribus suis, utique jura et juditia sibimet extorquerent: egregiâ scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.

«Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? quia secundæ res mirè sunt vitiis obtentui; quibus labefactatis, quàm formidatus antea est, tam contemnetur. Nisi fortè specie concordiæ et pacis, quæ sceleri et parricidio suo nomina indidit; neque aliter populo romano esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, præda civilis acerbissuma, jus, judiciumque omnium rerum penes se, quod populi romani fuit. Quæ, si vobis pax et concordia intelliguntur, maxuma turbamenta reipublicæ atque exitia probate, annuite legibus impositis; accipite otium cum servitio; et tradite exemplum posteris ad populum romanum suimet sanguinis mercede circumveniundum. Mihi, quam-

quam, per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini majorum, dignitati, atque etiam præsidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quæ si probatis, adeste, Quirites, et bene juvantibus diis M. Æmilium consulem, ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem. *Ex lib. I.*

II.—*Oratio L. Philippi contra Lepidum.*

«Maxumè vellem, P. C., rempublicam quietam esse, aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxæ esse. Sed contrà seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat; postremò, quæ pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt: nisi fortè cui pacem præstare, et bellum pati consilium est. Pro! dii boni! qui hanc urbem omissâ curâ adhuc tegitis, M. Æmilius, omnium flagitiosorum postremus, qui pejor an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum opprimundæ libertatis habet, et se e contempto metuendum effecit; vos mussantes, et retractantes verbis et vatum carminibus pacem optatis magis, quàm defenditis; neque intelligitis, mollitiâ decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id jure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cujus sceleribus tanta præmia tribuistis?

«At scilicet iis, qui, ad postremum usque, legatos, pacem, concordiam, et alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperere. Imò despecti et indigni republicâ habiti, prædæ loco æstumantur; quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, quum Etruriam conjurare, proscriptos arcessiri, largitionibus rempublicam lacerari, videbam; maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum. Cæterùm illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, et ignoscendo populi romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum, aiebant, quum privata arma opprimundæ libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quærendo, consilium publicum corruperunt. Attamen erat Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo diurnâ mercede vitam mutaverit: nunc est proconsul cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc jure parentibus. Et ad eum concurrêre homines omnium ordinum corruptissumi, flagrantes inopiâ et cupidinibus, scelerum conscientiâ exagitati: quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum et bello serunt; Saturnini olim, pòst Sulpicii, deim Marii Damasippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria, atque omnes reliquiæ belli arrectæ; Hispaniæ armis sollicitatæ; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin, præter idoneum ducem, nihil abest ad subvertundum imperium.

«Quod ego vos oro atque obsecro, P. C., uta-

animadvortatis; neu patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos præmia sequuntur, hau facilè quisquam gratuitò bonus est. An exspectatis, dum, exercitu rursus admonito, ferro atque flammâ urbem invadat? quod multò propius est ab eo, quo agitat, statu quàm ex pace et concordiâ ad arma civilia: quæ ille advorsùs divina et humana omnia cepit, non pro suâ, aut quorum simulat, injuriâ, sed legum ac libertatis subvertundæ. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, hæc atque illa tentans; metuit otium, odit bellum, luxu atque licentiâ carendum videt, atque interim abutitur vestrâ socordiâ. Neque mihi satìs consilii, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem: qui videmini intenta mala, quasi fulmen, optare, se quisque ne attingat; sed prohibere, ne conari quidem. Et, quæso, considerate quàm conversa rerum natura sit. Antea malum publicum occultè, auxilia palam, instruebantur; et eo boni malos facilè anteibant: nunc pax, concordia, disturbantur palam, defenduntur occultè; quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu.

«Quid exspectatis? nisi fortè pudet, aut piget rectè facere. An Lepidi mandata animos movent? qui placere ait, sua cuique reddi; et aliena tenet: belli jura rescindi, quum ipse armis cogat: civitatem confirmari, quibus ademptam negat: concordiæ gratiâ plebi tribunitiam potestatem restitui; ex quâ omnes discordiæ accensæ. Pessume omnium atque impudentissume, tibine egestas ci-

vium, et hostes curæ sunt, qui nihil est domi, nisi armis partum, aut per injuriam? Alterum consulatum petis; quasi primum reddideris: bello concordiam quæris, quo parta disturbatur; nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum, neque deorum pudet, quos per fidem, aut perjurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententiâ et retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine retineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque dii penates civem patiuntur; perge, quâ cœpisti, ut quam maturrumè merita invenias. Vos autem, P. C., quousque cunctando rempublicam intutam patiemini, et verbis arma tentabitis? Delectus adversùm vos habiti; pecuniæ publicè et privatim extortæ; præsidia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur; quum interim vos legatos et decreta paratis. Et quantò, me Hercule, avidiùs pacem petieritis, tantò bellum acrius erit, quum intelliget se metu magis, quàm æquò et bono sustentatum. Nam qui turbas et cædem civium odisse ait, et ob id, armato Lepido, vos inermes retinet, quæ victis toleranda sunt, ea, quum facere possitis, patiamini potiùs censet: ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet.

«Hæc si placent; si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnæ, cujus in urbem reditu decus ordinis hujus interiit, nihilominus vos atque conjuges et liberos Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rempublicam frustra curant. Agite, ut

iubet; paratis vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt, et rursus adversum deos penates manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine, et augete ingenium viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi. Fortuna meliores sequitur; jam illa, quae socordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum, cum pessimis et hostibus reipublicae, contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule, et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat. Cn. Ter. ...

III. — *Epistola Cn. Pompeii ad Senatum.*

Si adversus vos patriamque et deos penates tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, et vobis salus quaesita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, P. C.; quem contra aetatem projectum ad bellum saevissimum cum exercitu optime merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hac in spe populus romanus liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro vulneribus et toties ob rempublicam fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque legatos, omnes opes et spes privatas meas consumpsi, quum interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est.

Per deos immortales, utrùm censetis me vicem ærarii præstare, an exercitum sinè frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio, quàm consilio, profectum: quippe qui nomine modò imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi, hostesque in cervicibus jam Italiæ agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi; per eas iter aliud, atque Annibal, nobis opportunius, patefeci: recepi Galliam, Pyrenæum, Laletaniam, Indigetes; et primum impetum Sertorii victoris novis militibus et multò paucioribus sustinui: hiememque in castris inter sævissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione meâ, egi. Quid dein prælia, aut expeditiones hibernas, oppida excisa, aut recepta enumerem? quando res plus valent, quàm verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et prælium apud flumen Durium, et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentiâ et exercitu deleti, satis clara vobis sunt: pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est: namque stipendium neutri datur, victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo, quæsoque ut animadvortatis; neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus; præter maritimas civitates, quæ ultro nobis sumptui onerique. Gallia, superiore anno, Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modò, verùm etiam fi-

dem consumpsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hinc, et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredientur. — Ex lib. III.

IV. — *Oratio Macri Licinii tribuni plebis ad plebem.*

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter jus a majoribus relictum vobis, et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuisset, docendumque, quas ob injurias, et quotiens a patribus armata plebes secessisset; utique vindices paravisset omnis juris sui, tribunos plebis. Nunc hortari modo relicuum est, et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis solus, impotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii, creati pro jure vestro, vim cunctam et imperia sua, gratiâ, aut spe, aut præmiis, in vos convertère; meliusque habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem; qui per militare nomen, ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vestris: quum interim, more pecorum, vos, multitudo, singulis habendos fruendosque præbetis, exuti omnibus quæ majores reliquere: nisi quia

vobismet ipsi per suffragia, uti præsides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes; at mox, si vostra receperitis, ad vos redibunt plerique; raris enim animus est ad ea, quæ placent, defendenda; cætera validiorum sunt. An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? Nisi fortè C. Cotta, ex factione media consul, aliter quàm metu jura quædam tribunis plebis restituit. Et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunitiâ loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat; tamen priùs illi invidiam metuêre, quàm vos injuriæ pertæsum est. Quod ego nequeo satìs mirari, Quirites; nam spem frustrà fuisse intellexistis. Sullâ mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis; ortus est longè sævior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Æmilio Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis. Quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur! Quæ profectò incassum agerentur, si, priùs quàm vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant; præsertim quum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cætera ex licentiâ, aut odio, aut avaritiâ, in tempus arsere; permansit una res modò, quæ utrimque quæsita est, et erepta in posterum, vis tribunitia, telum a majoribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quæsoque, ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium

pro servitio appellatis. Quam jam ipsam, si vera et honesta in flagitiosam magis versa non est, conditio fruendi, ni omnino quiescatis. Nunc animum advertite: et, nisi viceritis, quoniam omnis injuria gravitate tutior est, artius habebunt.

Quid censes igitur? aliquis vestrûm subjecerit. Primum omnium omittendum morem hunc quem agitis, impigræ linguæ, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Dein (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebis, modò patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia, majores vestri paravere) quum vis omnis, Quirites, in vobis sit, et, quæ jussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certè possitis, Jovem aut alium quem deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exequendo rata efficitis, Quirites; ultroque licentiam in vos auctum atque adjutum properatis. Neque ego vos ultum injurias hortor, magis uti requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, jure gentium res repeto; et, si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantummodo ne ampliùs sanguinem vestrum præbeatis, censeo. Gerant habeantque suo modo imperia, quærant triumphos, Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis; absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi fortè repentinâ istâ frumentariâ lege munia vestra pensantur; quâ tamen quinis modiis libertatem omnium æstumavere, qui profectò non ampliùs possunt alimentis carceris.

Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit curâ familiari tam parva res; et ignavissumi quique tenuissimâ spe frustrantur. Quæ tamen quamvis ampla, quoniam servitii pretium ostentaretur, cujus torpedinis erat decipi: et vestrarum rerum ultro, injuriâ, gratiam debere? Namque alio modo, neque valent in universos, neque conabuntur: cavendus dolus est. Itaque simul comparant delinimenta, et differunt vos in adventum Cn. Pompeii; quem ipsum, ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno, aut remittere injuriam non audere, aut jus non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantæ gloriæ adolescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium; auctoremque in primis fore tribunitiæ potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia habebatis: neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantiâ res claudit. Verum occupavit vos nescio quæ torpedo, quâ neque gloriâ movemini, neque flagitio; cunctaque præsenti ignaviâ mutâstis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur, et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum. Atque hæc eadem non sunt agrestibus, sed cæduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur, et vincitur paucis: plebes, quodcumque accidit, pro victis est, et in

dine magis erit; si quidem majore curâ dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.» *Ex lib. III.*

V.—*Epistola regis Mithridatis scripta ad regem Arsacen.*

REX MITHRIDATES REGI ARSACES.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere: dein quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi si perpetuâ pace frui licet; nisi hostes opportuni et scelerastissumi, egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est; neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, et meæ res parum prosperæ, si vera existumare voles, maxumè hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem accipiet; mihi Fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi; et, quos florentibus optabile est, ego non validissumus præbeo exemplum, quò rectiùs tua componas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. Quâ primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes, ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertêre; ac mox, fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem

[illegible] [illegible] spoliatum sit. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriosè ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem: post habitum custodiem agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere; simulatoque impio testamento, filium ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more, per triumphum duxere. Asia ab ipsis obsessa est: postremò totam Bithyniam, Nicomede mortuo diripuere; quum filius Nusa, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque servitutum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt; sceleris eorum haud ignarum, et ea, quæ accidere, testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli, Asiamque spolium regis Antiochi recepi, et Græciæ dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas pœnas solvunt. Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans: Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri. Equidem quum mihi ob ipsorum interna mala, dilata prœlia magis, quam pacem datam intelligerem, ab-

puente Tigrane, qui mea dicta serò probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cœpi: Marcumque Cottam, romanum ducem, apud Chalcedona terrâ fudi: mari exui classe pulcherrumâ. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circûm adnitente: simul hiems mari prohibebat. Ita, sinè vi hosttium regredi coactus in patrium regnum naufragiis apud Parium et Heracleam, militum optumos cum clacsibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastatis circùm omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertundi, quia multitudinem, artis locis, pugnâ prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoriâ ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis, utrùm firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum, et auri esse: et eâ re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Cæterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere; quando neque vincere, neque vinci sinè tuo periculo possumus. An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quidquam a principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? convenas olim, sinè patriâ, sine parenti-

bus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant; omniaque non serva, et maxume regna, hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna justos dominos, volunt: nos suspecti sumus æmuli, et in tempore vindices adfuturi. Tu verò, cui Seleucia maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, et postea bellum exspectas? Romani in omnes arma habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo, et bella ex bellis serendo, magni facti. Per hunc morem extinguent omnia, aut occident: quod difficile non est, si tu Mesopotomiâ, nos Armeniâ, circungredimur exercitum sinè frumento, sinè auxiliis; fortunâ aut nostris vitiis adhuc incolumem: teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hortorque; neu malis, pernicie nostrâ tuam prolatare, quàm societate victor fieri.» *Ex lib. IV.*

VI.—*Oratio C. Cottæ consulis ad populum.*

«Quirites, multa mihi pericula domi, militiæ multa advorsa fuere; quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis, et virtute meâ: in quis omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labos. Malæ secundæque res, opes, non ingenium, mihi mutabant. At contrà in his miseriis cuncta me cum fortunâ desernere: præterea senectus, per se gravis, curam duplicat; cui mi-

sero, actâ jam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus hic deos penates meos, patriamque, et summum imperium vilia habeo; quis mi vivo cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo? quum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adolescentiâ in ore vestro, privatus et in magistratibus, egi; qui linguâ, qui consilio meo, qui pecuniâ voluere, usi sunt; neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciundum exercui: avidissumus privatæ gratiæ maxumas inimicitias pro republicâ suscepi; qui victus cum illâ simul, quum egens alienæ opis plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam, deos penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors jura naturæ sunt: uti sinè dedecore cum civibus, famâ et fortunis integer, agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissumâ republicâ. Namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt: et id res cogit; quoniam, defectione sociorum, et Sertorii per montes fugâ, neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asiâ Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur; Macedonia plena hostium est; nec minùs Italiæ maritima, et provinciarum: quum interim vectigalia parva, et bellis incerta, vix partem sumptuum sustinent: ita classe, quâ commeatus vehebatur, minore quàm antea navigamus. Hæc si dolo aut socordiâ nostrâ

contracta sunt, agite uti monet ira, supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque et republicâ incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid eâ vobis incommodi demitur; neque mox ingenui corporis honestiùs, quàm pro vestrâ salute finem vitæ fecerim. Adsum en C. Cotta consul: facio, quod sæpe majores asperis bellis fecere: voveo dedoque me pro republicâ. Quam deinde, cui mandetis, circumspicite: nam talem honorem bonus nemo volet: quum fortunæ, et pacis, et belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam cæsum; sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam majorum, tolerate advorsa, et consulite reipublicæ. Multa curâ summo imperio inest, multi ingentes labores: quos nequidquam abnuitis, et pacis opulentiam quæritis, quum omnes provinciæ, regna, maria, terræque aspera fessa bellis sint.» *Ex incerto libro.*

C. CORNELII TACITI

ANNALIUM
LIBER UNDECIMUS.

I. Nam Valerium Asiaticum bis consulem, fuisse quondam adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos insigni magnificentiâ extollebat, Suilium accusandis utris-

que immissis. Adjungitur Sosibius, Britannici educator, qui per speciem benevolentiæ moneret Claudium, *cavere vim atque opes principibus infensas: præcipuum auctorem Asiaticum interficiendi Cæsaris, non extimuisse in concione populi Romani fateri, gloriamque facinoris ultro petere: clarum ex eo in urbe, didità per provincias famâ, parare iter ad Germanicus exercitus; quando genitus Viennæ, multisque et validis propinquitatibus subnixus, turbare gentiles, nationes promptum haberet.* At Claudius, nihil ultra scrutatus, citis cum militibus, tamquam opprimendo bello, Crispinum prætorii præfectum misit: a quo repertus est apud Baias, vinclisque inditis, in urbem raptus.

II. Neque data senatûs copia: intra cubiculum auditur, Messalinâ coram et Suilio *corruptionem militum, quos pecuniâ et stupro in omni flagitio obstrictos* arguebat, exin *adulterium Poppææ*, ac postremùm *mollitiam corporis* objectante: ad quod victo silentio, prorupit reus, et. *Interrogat*, inquit, *Suili, filios tuos: virum me esse fatebuntur:* ingressusque defensionem, commoto majorem in modum Claudio, Messalinæ quoque lacrymas excivit: quibus abluendis cubiculo egrediens, monet Vitelium, ne elàbi reum sineret. Ipsa ad perniciem Poppææ festinat, subditis, qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent; adeo ignaro Cæsare, ut, paucos post dies, epulantem apud se maritum ejus Scipionem percunctaretur, *cur sine uxore discubuisset?* atque ille *functam fato* responderet.

III Sed consultanti super absolutione Asiatici, flens Vitelius, commemoratâ *vetustate amicitiæ, utque Antoniam principis matrem pariter observavissent*, dein, percursis *Asiatici in rempub. officiis, recentique adversus Britanniam militiâ*, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, *liberum ei mortis arbitrium* permisit: et secuta sunt Claudii verba, in eamdem clementiam. Hortantibus dehinc quibusdam *inediam et lenem exitum remittere beneficium* Asiaticus ait: et usurpatis, quibus insueverat, exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, quum se *honestiùs calliditate Tiberii, vel impetu C. Cæsaris periturum* dixisset, *quàm quod fraude muliebri, et impudico Vitellii ore caderet*, venas exolvit: viso tamen antè rogo, jussoque *transferri partem in aliam, ne opacitas arborum vapore ignis minueretur:* tantum illi securitatis novissimæ fuit.

IV. Vocantur post hæc patres, pergitque Suilius addere reos equites Romanos inlustres, quibus Petra cognomentum. Et causa necis, quòd domum suam Valerii et Poppææ congressibus præbuissent: verùm *nocturnæ quietis species* alteri objecta, *tamquam vidisset Claudium, spiceâ coronâ evinctum, spicis retro conversis: eâque imagine gravitatem annonæ dixisset*. Quidam *pampineam coronam albentibus foliis visam, atque ita interpretatum* tradidere, *vergente autumno mortem principis ostendi*. Illud haud ambigitur, qualicumque insomnio ipsi fratrique perniciem allatam. Sestertium quindecies, et insignia præturæ Crispino decreta. Adjecit Vitellius sester-

tium decies Sosibio; *quod Britanicum præceptis, Claudium consiliis juvaret.* Rogatus sententiam et Scipio: *Quum idem*, inquit, *de admissis Poppææ sentiam, quod omnes, putate me idem dicere, quod omnes*, eleganti temperamento inter conjugalem amorem, et senatoriam necessitatem.

V. Continuus inde et sævus accusandis reis Suillius, multique audaciæ ejus æmuli: nam cuncta legum et magistratuum munia in se trahens princeps, materiam prædandi patefecerat, nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quàm advocatorum perfidia: adeo ut Samius, insignis eques Romanus, quadrigentis nummorum millibus Suilio datis, et cognitâ prævaricatione, ferro in domo ejus incubuerit. Igitur, incipiente C. Silio, consule designato, cujus de potentia et exitio in tempore memorabo, consurgunt patres, legemque Cinciam flagitant; quâ cavetur antiquitus *ne quis ob causam orandam, pecuniam donumve accipiat.*

VI. Deinde, obstrepentibus his, quibus ea contumelia parabatur, discors Suilio Silius acriter incubuit, *veterum oratorum exempla* referens, *qui famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavissent pulcherrima: alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis fœdari; ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur: quod si in nullius mercedem negotia tueantur, pauciora fore: nunc inimicitias, accusationes, odia, et injurias foveri, ut, quomodo vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam advocatis ferat: meminissent C.*

Asinii, et Messallæ, ac recentiorum Arruntii et et Æsernini: ad summa provectos incorruptâ vitâ et facundiâ. Talia dicente consule designato, consentientibus aliis, parabatur sententia, quâ *lege repetundarum tenerentur;* quum Suilius, et Cossutianus, et ceteri, qui non judicium (quippe in manifestos) sed pœnam statui videbant, circumsistunt Cæsarem, antè acta deprecantes. Et posquam annuit, agere incipiunt.

VII. *Quem illum tantâ superbia esse, ut æternitatem famæ spe præsumat? usui et rebus subsidium præparari, ne quis inopia advocatorum potentioribus obnoxius sit: neque tamen eloquentiam gratuito contingere: omitti curas familiaris, ut quis se alienis negotiis intendat: multos militia, quosdam exercendo agros tolerare vitam: nihil a quoquam expeti, nisi cujus fructus antè providerit. Facile Asinium, et Messallam, inter Antonium et Augustum bellorum præmiis refertos, qui ditium familiarum heredes Æserninos et Arruntios, magnum animum induisse: prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari soliti sint: se modicos senatores; quieta repub. nulla, nisi pacis, emolumenta petere. Cogitaret plebem, quæ toga enitesceret: sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura.* Ut minùs decora hæc, ita haud frustra dicta princeps ratus, capiendis pecuniis posuit modum, usque ad dena sestertia, quem egressi repetundarum tenerentur.

VIII. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis, et ad præsentiam Cæsaris vinc-

tum memoravi, monente Claudio, in regnum remeavit, fisus Pharasmanis opibus. Is rex Iberis, idemque Mithridatis frater, nuntiabat *discordare Parthos, summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi*. Nam inter Gotarzis pleraque sæva (qui necem fratri Artabano, conjugique ac filio ejus præparaverat; unde metus ejus in ceteros) accivere Bardanen. Ille, ut erat magnis ausis promptus, biduo tria millia stadiorum invadit, ignarumque et exterritum Gotarzen proturbat: neque cunctatur, quin proximas præfecturas corripiat, solis Seleucensibus dominationem ejus abnuentibus: in quos, ut patris sui quoque defectores, irâ magis, quam ex usu præsenti accensus, implicatur obsidione urbis validæ, et munimentis objecti amnis, muroque et commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes, Daharum Hyrcanorumque opibus auctus, bellum renovat: coactusque Bardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos castra contulit.

IX. Tunc, distractis Orientis viribus, et quonam inclinarent incertis, casus Mithridati datus est occupandi Armeniam, vi militis Romani ad excidenda castellorum ardua, simul Ibero exercitu campos persultante. Nec enim restitere Armenii, fuso, qui prælium ausus erat, Demonacte præfecto. Paullulum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, versis illuc quibusdam procerum; dein litteris Cæsaris coercitus, et cuncta in Mithridatem fluxere, atrociorem, quam novo regno conduceret. At Parthi imperatores, quum pugnam pararent, fœdus repente faciunt, cognitis popularium insidiis, quas Gotarzes fratri patefecerat:

congressique primò cunctantur, deinde complexi dextras, apud altaria deûm pepigere, *fraudem inimicorum ulcisci, atque ipsi inter se concedere*. Potiorque Bardanes visus retinendo regno; at Gotarzes, ne quid aemulationis existeret, penitus in Hyrcaniam abiit: regressoque Bardani deditur Seleucia; septimo post defectionem anno, non sine dedecore Parthorum, quos una civitas tamdiu eluserat.

X. Exim validissimas praefecturas invasit: et recuperare Armeniam, ni a Vibio Marso, Syriae legato, bellum minitante, cohibitus foret. Atque interim Gotarzes, poenitentiâ concessi regni, et revocante nobilitate, cui in pace durius servitium est; contrahit copias: et huic contra itum ad amnem Erinden: in cujus transgressu multum certato, pervicit Bardanes, prosperisque praeliis medias nationes subegit ad flumen Gindem, quod Dahas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus: nam Parthi, quamquam victores, longinquam militiam adspernabantur. Igitur, exstructis monimentis, quibus opes suas testabatur, nec cuiquam ante Arsacidarum tributa illis de gentibus parta, regreditur, ingens gloriâ, atque eò ferocior, et subjectis intolerantior: qui, dolo antè composito, incautum, venationique intentum interfecere, primam intra juventam, sed claritudine paucos inter senum regum, si perinde amorem inter populares, quàm metum apud hostes quaesivisset. Nece Bardanis turbatae Parthorum res, inter ambiguos, quis in regnum acciperetur: multi ad Gotarzen inclinabant; quidam ad Meherdaten,

prolem Phraatis, obsidio nobis datum: dein prævaluit Gotarzes: potitusque regiam, per sævitiam ac luxum adegit Parthos, mittere ad principem Romanum occultas preces, quis *permitti Meherdaten patrium ad fastigium* orabant.

XI. Iisdem consulibus ludi seculares, octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo, quàm Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui: nam is quoque edidit ludos seculares; iisque intentiùs adfui, sacerdotio quindecimvirali præditus, ac tum prætor: quod non jactantiâ refero, sed quia collegio quindecimvirûm antiquitus ea cura, et magistratus potissimùm exsequebantur officia cærimoniarum. Sedente Claudio, Circensibus ludis, quum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus, imperatore genitus, et L. Domitius, adoptione mox in imperium et cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est: vulgabaturque, *adfuisse infantiæ ejus dracones, in modum custodum*; fabulosa, et externis miraculis adsimulata; nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino *anguem in cubiculo visam* narrare solitus est.

XII. Verùm inclinatio populi supererat, ex memoria Germanici, cujus illa reliqua suboles virilis: et matri Agrippinæ miseratio augebatur, ob sævitiam Messalinæ; quæ semper infesta, et tunc commotior, quominus strueret crimina et accusatores, novo et furori proximo amore detinebatur,

Nam in C. Silium, juventutis Romanæ pulcherrimum, ita exarserat, ut Juniam Silanam, nobilem feminam, matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero potiretur. Neque Silius flagitii aut periculi nescius erat: sed certo, si abnueret, exitio, et nonnulla fallendi spe, simul magnis præmiis, opperiri futura, et præsentibus frui, pro solatio habebat: illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum; egressibus adhærescere; largiri opes, honores: postremò, velut translatâ jam fortunâ, servi, liberti, paratus principis apud adulterum visebantur.

XIII. At Claudius matrimonii sui ignarus, et munia censoria usurpans, *theatralem populi lasciviam* severis edictis increpuit, *quod in P. Pomponium consularem* (is carmina scenæ dabat) *inque feminas inlustres proba jecerat*. Et lege lata, sævitiam creditorum coërcuit, *ne in mortem parentum pecunias filiis familiarium fænori darent*. Fontesque aquarum ab Simbruinis collibus deductos, urbi intulit. Ac novas litterarum formas addidit, vulgavitque; comperto Græcam quoque litteraturam non simul cœptam, absolutamque.

XIV. Primi per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant; et antiquisima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, et *litterarum semet inventores* perhibent; *inde Phænicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tamquam repererint, quæ acceperant*. Quippe fama est, *Cadmum, classe Phænicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus auctorem fuisse*. Quidam *Cecro-*

pem Atheniensem, vel *Linum Thebanum*, et *temporibus Trojanis Palamedem Argivum* memorant, *sexdecim litterarum formas*; *mox alios*, *ac præcipuum Simonidem*, *ceteras reperisse.* At in Italia Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt: et forma litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum. Sed nobis quoque paucæ primum fuere: deinde additæ sunt. Quo exemplo Claudius tres litteras adjecit, quæ usui, imperitante eo, post oblitteratæ, adspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis, per fora ac templa fixo.

XV. Retulit deinde ad senatum, super collegio haruspicum, *ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret: sæpe adversis reipub: temporibus accitos, quorum monitu redintegratas cærimonias, et in posterum rectiùs habitas: primoresque Etruriæ sponte, aut Patrum Romanorum impulsu, retinuisse scientiam, et in familias propagase: quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes socordia, et quia externe superstitiones valescant: et læta quidem in præsens omnia; sed benignitati deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum, inter ambigua culti, per prospera oblitterarentur.* Factum ex eo senatusconsultum; *viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque haruspicum.*

XVI. Eodem anno Cheruscorum gens regem Roma petivit, amissis per interna bella nobilibus, et uno reliquo stirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine *Italicus*. Paternum huic genus e Flavio, fratre Arminii; mater ex Catu-

mero, principe Cattorum, erat: ipse formâ decorus, et armis equisque, in patrium nostrumque morem, exercitus. Igitur Cæsar auctum pecuniâ, additis stipatoribus, hortatur *gentile decus magno animo capessere. Illum primum, Romæ ortum, nec obsidem, sed civem, ire externum ad imperium.* Ac primò lætus Germanis adventus, atque eò magis quòd nullis discordiis imbutus, pari in omnes studio ageret; celebrari, coli, modò comitatem et temperantiam nulli invisam, sæpius vinolentiam ac libidines, grata barbaris, usurpans. Jamque apud proximos, jam longiùs clarescere, quum potentiam ejus suspectantes, qui factionibus floruerant, discedunt ad conterminos populos, ac testificantur, *adimi veterem Germaniæ libertatem, et Romanas opes insurgere: adeo neminem iisdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attolatur? Frustra Arminium præscribi: cujus si filius, hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse estimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis: at si paterna Italico mens esset, non alium infensiùs arma contra patriam ac deos penates, quàm parentem ejus exercuisse.*

XVII. His atque talibus magnas copias coegere. Neu pauciores Italicum sequebantur: *non enim inrupisse ad invitos, sed accitum* memorabant: *quando nobilitate ceteros anteiret, virtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, avo Catumero præberet: nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos, volentibus Germanis*

sumptum, nunquam omisisset: falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. Adstrepebat huic alacre vulgus; et magno, inter barbaros, prœlio victor rex; dein secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursus Langobardorum opibus refectus, per læta, per adversa, res Cheruscas adflictabat.

XVIII. Per idem tempus Chauci, nulla dissensione domi, et morte Sanquinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, duce Gannasco: qui natione Caninefas, auxiliaris et diu meritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus, Gallorum maximè oram vastabat, non ignarus, dites et imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus, magna cum cura et mox gloria, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, ceteras navium, ut quæque habiles, per æstuaria et fossas adegit: lintribusque hostium depressis, et exturbato Gannasco, ubi præsentia satis composita sunt, legiones operum et laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem redaxit; ne quis agmine decederet, nec pugnam, nisi jussus, iniret: stationes, vigiliæ, diurna nocturnaque munia, in armis agitabantur. Feruntque *militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus, foderet, morte punitos;* quæ nimia, et incertum an falsò jacta, originem tamen e severitate ducis traxere: intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.

XIX. Ceterùm is terror milites hostesque in diversum adfecit: nos virtutem auximus; barbari ferociam infregere. Et natio Frisiorum post rebellionem, clade L. Apronii cœptam, infensa aut malè fida, datis obsidibus, concedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, leges imposuit: ac ne jussa exsuerent, præsidium immunivit; missis, qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo adgrederentur: nec irritæ, aut degeneres insidiæ fuère adversus transfugam et violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, et Corbulo semina rebellionis præbebat; ut lætâ apud plerosque, ita apud quosdam sinistrâ famâ: *cur hostem conciret? adversa in rempub. casura: sin prosperè egisset, formidolosum paci virum insignem, et ignavo principi prægravem.* Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, *ut referri præsidia cis Rhenum* juberet.

XX. Jam castra in hostili solo molienti Corbuloni hæ litteræ redduntur. Ille, re subitâ, quamquam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemptio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus, quàm *beatos quondam duces Romanos!* signum receptui dedit. Ut tamen miles otium exfueret, inter Mosam Rhenumque trium et viginti millium spatio fossam perduxit, qua incerta Oceani vetarentur: insignia tamen triumphi indulsit Cæsar, quamvis bellum negavisset. Nec multò post Curtius Rufus eumdem honorem adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quærendis venis argenti; unde

tenuis fructus, nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, effodere rivos, quæque in aperto gravia, humum infra moliri: quis subactus miles, et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras, nomine exercituum, precantium imperatorem, *ut quibus permissurus esset exercitus, triumphalia antè tribueret.*

XXI. De origine Curtii Rufi, quem gladiatore genitum quidam prodidere, neque falsa prompserim; et vera exsequi pudet. Postquam adolevit, sectator quæstoris, cui Africa obtigerat, dum in oppido Adrumeto, vacuis per medium diei porticibus secretus agitat, oblata ei species muliebris ultra modum humanum, et audita est vox; *Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro consule venies.* Tali omine in spem sublatus, digressusque in urbem, et largitione amicorum, simul acri ingenio, quæsturam, et mox, nobiles inter candidatos, præturam principis suffragio adsequitur: quum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, *Curtius Rufus videtur mihi ex senatus.* Longâ post hæc senectâ, et adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, consulare imperium, triumphi insignia, ac postremò Africam obtinuit: atque ibi defunctus, fatale præsagium implevit.

XXII. Interea Romæ, nullis palam, neque cognitis mox causis, Cn. Novius, eques Romanus, ferro accinctus reperitur in cœtu salutantium principem: nam postquam tormentis dilaniabatur, de se noni . . . . conscios non edidit, incertùm an occultans. Iisdem consulibus P. Dolabella censuit

spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecuniâ eorum, qui quaesturam adipiscerentur. Apud majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin primâ juventâ consulatum ac dictaturas inirent. Sed quæstores, regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt: quod lex curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque consulibus protestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primùm Valerius Potitus, et Æmilius Mamercus, LXIII anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiariâ jam Italiâ, et accedentibus provinciarum vectigalibus. Pòst, lege Sullæ, viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat: et quamquam equites judicia recuperavissent; quæstura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium gratuitò concedebatur, donec sententiâ Dolabellæ velut venundaretur.

XXIII. A. Vitellio, L. Vipstano consulibus, quum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliæ quæ *Comata* appellatur, fœdera et civitatem Romanam pridem adsecuti, jus adipiscendorum in urbe honorum expeterent; multus ea super re variusque rumor, et studiis diversis, apud principem certabatur, adseverantium; *non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret: suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec pœnitere veteris reipub.*

Quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus ad virtutem et gloriam Romana indoles prodiderit. An parum, quod Veneti, et Insubres curiam inruperint, nisi cœtus alienigenarum, velut captivitas, inferatur? quem ultra honorem residuis nobilium? aut si quis pauper e Latio senator fòret? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique, hostilium nationum duces, exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Julium apud Alesiam obsederint. Recentia haec: quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorumdem prostratis. Fruerentur sanè vocabulo civitatis: sed insignia patrum, decora magistratuum, ne vulgarent.

XXIV. His atque talibus haud permotus princeps, et statim contra disseruit, et, vocato senatu, ita exorsus est: *Majores mei (quorum antiquissimus Clausus, origine Sabinâ, simul in civitatem Romanam, et in familias patriciornm adscitus est) hortantur, uti paribus consiliis rempubl. capessam, transferendo huc, quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Albâ, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, et, ne vetera scrutemur, Etruriâ Lucaniâque, et omni Italiâ, in senatum accitos. Postremo ipsam ad Alpes promotam, ut non modo singuli viritim, sed taerre gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti, quum, specie deductarum per orbem terræ, legionum, additis*

provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minùs insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis et Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientià valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt. Libertinorum filiis magistratus mandari, non ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnàvimus: scilicet Volsci et Æqui, numquam adversam nobis aciem instruxere! Capti a Gallis sumus, sed et Tuscis obsides dedimus, et Samnitium jugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio, quàm adversus Gallos, confectum: continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum et opes suas inferant potiùs, quàm separati habeant. Omnia, patres conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebei magistratus post patricios: Latini post plebejos: cæterarum Italiæ gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque: et quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

XXV. Orationem principis secuto patrum consulto, primi Ædui senatorum in urbe jus adepti sunt: datum id fœderi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano

usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus *majorum* et L. Brutus *minorum gentium* appellaverant; exhaustis etiam, quas dictator Cæsar lege Casiâ, et princeps Augustus lege Seniâ sublegere. Lætaque hæc in rempub. munia, multo gaudio censoris inibantur. Famosos probris quonam modo senatu depelleret anxius, mitem et recèns repertam, quàm ex severitate prisca, rationem adhibuit: monendo *secum quisque de se consultaret, peteretque jus exsuendi ordinis: facilem ejus rei veniam: et motos senatu, et excusatos simul propositurum: ut judicium censorum, ac pudor sponte cedentium permixti, ignominiam mollirent.* Ob ea Vipstanus consul retulit, *patrem senatûs appellandum esse Claudium: quippe promiscuum* patris patriæ *cognomentum: nova in rempub. merita, non usitatis vocabulis honoranda.* Sed ipse cohibuit consulem, ut nimiùm assentantem: condiditque lustrum, quo censa sunt civium LXIX centena, et XLIV millia. Isque illi finis inscitiæ erga domum suam fuit: haud multò pòst, flagitia uxoris noscere ac punire adactus, ut deinde ardesceret in nuptias incestas.

XXVI. Jam Messallina facilitate adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines profluebat; quum *abrumpi dissimulationem* etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus, urgebat. *Quippe non eo ventum, ut senectam principis*

opperirentur: insontibus innoxia consilia; flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum: adessse conscios, paria metuentes. Se cælibem, orbum, nuptiis, et adoptanda Britannico paratum: mansuram eamdem Messallinæ potentiam, additâ securitate, si prævenirent Claudium, ut insidiis incautum, ita irae properum. Segniter hæ voces acceptæ, non amore in maritum; sed ne Silius summa adeptus, sperneret adulteram, scelusque inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimaret: nomen tamen matrimonii concupivit, ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est. Nec ultrà exspectato, quàm dum sacrificii gratiâ Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solemnia celebrat.

XXVII. Haud sum ignarus, fabulosum visum iri, tantum ullis mortalium securitatis fuisse, in civitate omnium gnara et nihil reticente, nedum consulem designatum, cum uxore principis, prædicta die, adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causâ, convenisse: atque illam audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos, discubitum inter convivas; oscula, complexus; noctem denique actam licentiâ conjugali. Sed nihil compositum miraculi causâ, verùm audita scriptaque senioribus tradam.

XXVIII. Igitur domus principis inhorruerat; maximéque, quos penes potentia, et, si res verterent, formido, non jam secretis colloquiis, sed apertè fremere, *Dum histrio cubiculum principis exultaverit, dedecus quidem inlatum; sed*

exscidium procul abfuisse: nunc juvenem nobilem, dignitate formæ, vi mentis, ac propinquo consulatu, majorem ad spem accingi: nec enim occultum, quid post tale matrimonium superesset. Subibat sine dubio metus reputantes, *hebetem Claudium, et uxori devinctum, multasque mortes jussu Messallinæ patratas.* Rursus ipsa facilitas imperatoris fiduciam dabat, *si atrocitate criminis prævaluissent, posse opprimi damnatam antèquam ream. Sed in eo discrimen verti, si defensio audiretur, utque claussæ aures etiam confitenti forent.*

XXIX. Ac primò Callistus jam mihi circa necem C. Cæsaris narratus, et Appianæ cædis molitor Narcissus, flagrantissimâque, eo in tempore, gratiâ Pallas agitavere, *num Messallinam secretis minis depellerent amore Silii cuncta alia dissimulantes*: dein metu, ne ad perniciem ultro traherentur, desistunt; Pallas per ignaviam, Callistus prioris quoque regiæ peritus, et potentiam cautis, quàm acribus consiliis tutiùs haberi. Perstitit Narcissus; et solum id immutans, ne quo sermone præsciam criminis et accusatoris faceret, ipse ad occasiones intentus, longâ apud Ostiam Cæsaris morâ, duas pellices, quarum is corporibus maximè insueverat, largitione ac promissis, et uxore dejecta, plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire.

XXX. Exim Calpurnia (id pellici nomen) ubi datum secretum, Cæsaris genibus provoluta, *nupsisse Messallinam Silio* exclamat: simul Cleopatram, quæ idem opperiens adstabat, *an comperis-*

set? interrogat: atque illa annuente, *cieri Narcissum* postulat. Is *veniam in præteritum petens, quod ei cis Vectios, cis Plautios dissimulavisset: nec nunc adulteria objecturum* ait: *ne domum, servitia, et ceteros fortunæ paratus reposceret; frueretur immo iis: sed redderet uxorem, rumperetque tabulas nuptiales. An discidium,* inquit, *tuum nosti? nam matrimonium Silii vidit populus, et senatus, et miles: ac ni properè agis, tenet urbem maritus.*

XXXI. Tum potissimum amicorum vocat: primumque rei frumentariæ præfectum Turranium, post Lusium Getam, prætorianis impositum: percunctatur. Quibus fatentibus, tum certatim ceteri circumstrepunt, *iret in castra, firmaret praetorias cohortes, securitate antè, quàm vindictæ consuleret.* Satis constat eo pavore offusum Claudium, ut identidem interrogaret, *an ipse imperii potens? an Silius privatus esset?* At Messallina, non alias solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domum celebrat. Urgeri prela, fluere lacus et feminæ pellibus accinctæ adsultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchæ: ipsa, crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtàque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, jacere caput, strepente circùm procaci choro. Ferunt Vectium Valentem, lasciviâ in præaltam arborem connisum, interrogantibus *quid adspiceret?* respondisse, *tempestatem ab Ostia atrocem*: sive ceperat ea species, seu fortè lapsa vox in præsagium vertit.

XXXII. Non rumor interea, sed undique nuntii incedunt, qui *gnara Claudio cuncta, et veni-*

ne *promptum ultioni* adforent. Igitur Messalina Lucullianos in hortos, Silius, dissimulando metu, ad munia fori digrediuntur. Cæteris passim dilabentibus, adfuere centuriones, inditaque sunt vincula, ut quis reperiebatur in publico, aut per latebras. Messalina tamen, quamquam res adversæ consilium eximerent, ire obviam, et adspici a marito, quod sæpe subsidium habuerat, haud segniter intendit: jussitque, *ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent*. Et Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam oravit, *Pontificis maximi aures adire, clementiam expetere*. Atque interim, tribus omnino comitantibus (id repente solitudinis erat) spatium urbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat: nullâ cujusquam misericordiâ, quia flagitiorum deformitas prævalebat. . . . .

XXXIII. Trepidabatur nihilominus a Cæsare: quippe Getæ, prætorii præfecto, haud satis fidebat, ad honesta seu prava juxtà levi. Ergo Narcissus, adsumptis quibus idem metus, *non aliam spem incolumitatis Cæsaris* affirmat, *quàm si jus militum, uno illo die, in aliquem libertorum transferret*; *seque* offert *suscepturum*. Ac ne, dum in urbem vehitur, ad pœnitentiam a L. Vitellio, P. Largo Cæcina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit, sumitque.

XXXIV. Crebra post hæc fama fuit, inter diversas principis voces, quum modò incusaret flagitia uxoris, aliquando ad memoriam conjugii, et infantiam liberorum revolveretur, non aliud pro-

locutum Vitellium, quàm *ó facinus*! *ó scelus*! Inflabat quidem Narcissus *aperire ambages*, *et veri copias facere*: sed non ideo pervicit, quin suspensa, et, quò ducerentur, inclinatura responderet, exemploque ejus Largus Cæcina uteretur. Et jam erat in adspectu Messallina, clamitabatque *audiret Octaviæ et Britannici matrem*; quum obstreperet accusator, *Silium et nuptiat* referens: simul codicillos, libidinum indices, tradidit, quibus visus Cæsaris averteret. Nec multò pòst urbem ingredienti offerebantur communes liberi; nisi Narcissus *amoveri eos* jussisset. Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, *ne indefensa conjunx exitio daretur*. Igitur *auditurum principem*, *et fore diluendi criminis facultatem* respondit: *iret interim virgo*, *et sacra capesseret*.

XXXV. Mirum inter hæc silentium Claudi: Vitellius ignaro propior: omnia liberto obediebant: *patefieri domum adulteri*, *atque illuc deduci imperatorem* jubet. Ac primùm in vestibulo, effigiem patris Silii, consulto senatûs abolitam, demonstrat: tum quidquid habitum Neronibus et Drusis, in pretium probri cessisse: incensumque et ad minas erumpentem, castris infert, parata concione militum; apud quos, præmonente Narcisso, pauca verba fecit: nam etsi justum dolorem, pudor impediebat. Cohortium clamor dehinc continuus, *nomina reorum et pœnas* flagitantium: admotusque Silius tribunali, non defensionem, non moras tentavit, precatus *ut mors adceleraretur*: eadem constantia et inlustres equites Romanos cu-

pidos maturæ necis fecit. Titium Proculum, custodem a Silio Messallinæ datum, et inditium offerentem Vectium Valentem, et confessum, et Pompeium Urbicum, ac Saufellum Trogum ex consciis *trahi ad supplicium* jubet. Decius quoque Calpurnianus, vigilum præfectus, Sulpicius Rufus, ludi procurator, Juncus Virgilianus, senator, eâdem pœna adfecti.

XXXVI. Solus Mnster cunctationem attulit, dilaniata veste, clamitans, *adspiceret verberum notas, reminisceretur vocis, quâ se obnoxium jussis Messallinæ dedisset. Aliis largitione, aut spei magnitudine, sibi ex necessitate culpam: nec cuiquam antè pereundum fuisse, si Silius rerum potiretur.* Commotum his, et pronum ad misericordiam Cæsarem perpulere liberti, *ne, tot inlustribus viris interfectis, histrioni consuleretur: sponte an coactus tam magna peccavisset, nihil referre.* Ne Trauli quidem Montani equitis Romani defensio recepta est: is modestâ juventâ, sed corpore insigni, accitus ultro, noctemque intra unam a Messallina proturbatus erat, paribus lasciviis ad cupidinem et fastidia. Suilio Cæsonino, et Plautio Laterano mors remittitur: huic, ob patrui egregium meritum; Cæsoninus vitiis protectus est, tamquam in illo fœdissimo cœtu passus muliebria.

XXXVII. Interim Messallina Lucullanis in hortis prolatare vitam, componere preces, nonnulla spe, et aliquando irâ: tantâ inter extrema superbiâ agebat. Ac ni cædem ejus Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem. Nam Claudius, domum regressus, et tempestivis epulis

definitus, ubi vino incaluit, *iri* jubet, *nuntiarique miseræ* (hoc enim verbo usum ferunt) *dicendam ad causam postera die adesset*. Quod ubi auditum; et languescere ira, redire amor, ac si cunctarentur, propinqua nox, et uxorii cubiculi memoria timebantur; prorumpit Narcissus, denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderant, *exsequi cædem: ita imperatorem jubere*: custos et exactor e libertis Evodus datur. Isque raptim in hortos prægressus, reperit fusam humi, assidente matre Lepidâ: quæ florenti filiæ haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta erat; suadebatque, *ne percussorem opperiretur: transisse vitam, neque aliud quàm morti decus, quærendum*. Sed animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat; lacrimæque et questus irriti ducebantur; quum impetu venientium pulsæ fores, adstititque tribunus per silentium, at libertus increpans multis ac servilibus probris.

XXXVIII. Tunc primùm fortunam suam introspexit, ferrumque accepit, quod frustra jugulo ac pectori per trepidationem admovens, ictu tribuni transfigitur: corpus matri concessum. Nuntiatumque Claudio epulanti *perisse Messallinam*, non distincto, suâ an alienâ manu: nec ille quæsivit: poposcitque poculum, et solita convivio celebravit. Ne secutis quidem diebus, odii, gaudii, iræ, tristitiæ, ullius denique humani affectûs signa dedit, non quum lætantes accusatores adspiceret, non, quum filios mœrentes. Juvitque oblivionem ejus senatus, censendo *nomen et effigies privatis ac*

publicis locis demovendas. Decreta Narcisso *quæstoria insignia*, levissimum fastigii ejus, quum supra Pallantem et Callistum ageret. Honesta quidem, sed ex quibus deterrima orirentur, flagitiis inultis.

M. T. CICERONIS

IN L. CATILINAM

ORATIO PRIMA,

HABITA IN SENATU.

I. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum conscientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! senatus hæc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo vero etiam in senatum venit; fit publici consilii particeps; notat, et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes,

satisfacere reipublicæ videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci, jussu consulis, jampridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus. P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicæ, privatus interfecit; Catilinam vero, orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Melium, nobis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissumum hostem coercerent. Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicæ consilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet, nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus: occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. Simili senatusconsulto, C. Mario et L. Valerio, consulibus permissa est respublica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis, et C. Servilium prætorem, mors ac reipublicæ pœna remorata est? At nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo

ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis; et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem; cupio in tantis reipublicæ periculis me non dissolutum videri: sed jam me ipse inertiæ nequitiæque condemno. Castra sunt in Italia contra rempublicam in Etruriæ faucibus collocata; crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium, intra mœnia, atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicæ molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod jampridem factum esse oportuit, certa de causa, nondum adducor, ut faciam: tum denique interficiam te, quum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, quid id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defenderet audeat, vives; et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis præsidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis: multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut udhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarius, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta jam istam men-

tem, mihi crede; obliviscere cædis, atque incendiorum: teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine, me ante diem XII kalendas novembr. dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI kal. novembris, C. Mallium, audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem V kalendas novembris, tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, quum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum, te esse dicebas? Quid? quum tu te Præneste kalendis ipsis novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine, illam coloniam meo jussu præsidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam, planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem: jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Læcæ domum; convenisse eodem complures ejusdem amentiæ scelerisque socios.

Num negare audes? Quid taces? convincam, si negas: video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuere. O dii immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam rempublicam habemus? Hic, hic sunt, in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terræ sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo, nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo; et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Læcam illa nocte, Catilina; distribuisti partes Italiæ; statuisti, quo quemque proficisci placeret: delegisti, quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres; descripsisti urbis partes ad incendia; confirmasti, te ipsum jam esse exiturum; dixisti paullulum tibi esse etiam tum moræ, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me meo in lectulo interfecturos pollicerentur. Hæc ego omnia, vixdum etiam cœtu vestro dimisso, comperi; domum meam majoribus præsidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, quum illi ipsi venissent: quos ego jam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse prædixeram.

V. Quæ quum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti, egredere aliquando ex urbe; patent portæ; proficiscere: nimium diu te imperatorem illa tua Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos: purga urbem.

Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortolibus habenda est gratia, atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicæ pestem toties jam effugimus. Non est sæpius in uno homine salus summa periclitanda reipublicæ. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me præsidio, sed privata diligentia defendi: quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi tuos nefarios conatus amicorum præsidio et copiis, nullo tumulto publice concitato: denique, quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti; quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicæ esse conjunctam. Nunc jam aperte rempublicam universam petis; templa deorum inmortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium et vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod primum atque hujus imperii disciplinæque majorum proprium est, facere nondum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, et ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus; sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa centina reipublicæ. Quid est, Catilina? num dubitas id, me imperante facere, quod tua jam sponte faciebas? Exire

ex urbe consul hostem jubet: interrogas me, num in exsilium? non jubeo; sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat: nemo, qui non oderit. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætulisti? Quid vero? nuper, quum morte superioris uxoris nobis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis idibus senties: ad illa venio, quæ non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam reipublicæ, atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent.

Potestne tibi hujus vitæ lux, Catilina, aut hujus cœli spiritus esse jucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie kalendas jan. Lepido et Tullo consulibus, stetisse in comitio cum telo? manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut ti-

morem tuum, sed fortunam reipublicæ obstitisse? Ac jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multa post commissa. Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi? nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore: neque tamen conari ac velle desistis. Quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? quoties vero excidit casu aliquo, et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quæ quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas consulis in corpore defigere.

VII. Nunc vero, quæ tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quæ tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi meherclo mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et, si me meis civibus

injuria suspectum tam graviter atque offensum viderem; carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu, quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, et jam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum præsentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses; ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jamdiu de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere, neque vim pertimesces? Quæ tecum, Catilina, sic agit, et quodam modo tacita loquitur: «Nullum aliquot jam annis facinus exstitit, nisi per te; nullum flagitium sine te tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges ac quæstiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat; non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timeri desinam.»

VIII. Hæc si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? Quid? quos tu te ipse in custodiam

dedisti? quid? quod vitandæ suspicionis causa, apud M'. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es; atque, ut domi meæ te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus túto esse tecum; qui magno in periculo essem, quos iisdem mœnibus contineremur; ad Q. Metellum prætorem venisti: a quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti; quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse jam dignum custodia judicaverit? Quæ quum ita sint, Catilina, dubitas, si hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugæ solitudinique mandare?

Refer, inquis, ad senatum: id enim postulas, et, si hic ordo placere sibi decreverit, te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, in quod abhorret a meis moribus; et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina; libera rempublicam metu; in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est Catilina? ecquid attendis? ecquid animadvertis horum silentium? patiuntur, tacent: quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sextio; si fortissimo viro, M. Marcello dixissem;

jam mihi consuli, hoc ipso in templo, jure optimo senatus vim et manus intulisset: de te autem Catilina, quum quiescunt, probant; quum patiuntur, decernunt; quum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima; sed etiam illi equites romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissime cives, qui circunstant senatum; quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paullo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te jamdiu manus ac tela contineo; eosdem facile adducam, ut te hæc, quæ jampridem vastare studes, relinquentem, usque ad portas prosequantur.

IX. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in præsens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti; dummodo ista privata sit calamitas, et a reipublicæ periculis sejungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimescas, ut temporibus reipublicæ cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpidine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut sæpe jam dixi, proficiscere; ac si mihi, inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium: vix feram, sermones hominum, si id feceris; vix molem istius invidiæ,

si in exsilium ieris jussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meæ laudi et gloriæ mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Mallium; concita perditos cives; secerne te a bonis: infer patriæ bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. Quamquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse præmissos, qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati? sciam pactam et constitutam esse cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi tuæ sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse præmissam? Tu ut illa diutius carere possis, quam venerari, ad cædem proficiscens, solebas? a cujus altaribus sæpe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti!

X. Ibis tandem aliquando, quo te jampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi hæc res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem: ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua lætitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores

tui: jacere humi, non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes, ubi ostentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci tum; quum te a consulatu repuli, ut exsul potius tentare, quam consul vexare rempublicam posses; atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me, patres conscripti, quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecer: percipite, quæso, diligenter, quæ dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior; si cuncta Italia; si omnis respublica loquatur: «M. Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, autorem sceleris, principem conjurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed inmissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci? non ad mortem rapi, non summo suplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? Mosne majorum? at persæpe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quæ de civium reorum supplicio rogatæ sunt? at numquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam posteritatis

times? praeclaram vero populo romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiæ metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiæ ac nequitiæ pertimescenda? An, quum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiæ incendio conflagraturum?

XII. His ego sanctissimis reipublicæ vocibus, et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus, pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu judicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari: unius usuram horæ gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri, et clarissimi cives, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe mihi verendum non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet; tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.

Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant; aut ea quæ vident, dissimulent: qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi, verum

etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicæ pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se ejecerit, secumque suos eduxerit, et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit: exstinguetur atque delebitur non modo hæc tam adulta reipublicæ pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

XIII. Etenim jamdiu, patres conscripti, in his periculis conjurationis insidiisque versamur: sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris, et audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur; videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicæ. Ut sæpe homines ægri morbo gravi, quum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur; deinde multo gravius vehementiusque afflictantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius pœna, vehementius, vivis reliquis, ingravescet. Quare, patres conscripti, secedant improbi; secernant se a bonis; unum in locum congregentur; muro denique, id quod sæpe jam dixi, secernantur a nobis; desinant insidiari domi suæ consuli, circumstare tribunal prætoris urbani, ob-

sidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte uniuscujusque, quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

Hisce ominibus, Catilina, cum summa reipublicæ salute, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus; quem Statorem hujus urbis atque imperii vere nominamus: hunc, et hujus socios a tuis aris cæterisque templis, a tectis urbis ac mœnibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis; et omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum fœdere inter se, ac nefaria societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

PUBLII VIRGILII MARONIS

ECLOGA IV.

Sicelides Musæ, paullo majora canamus
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te consule, inibit:
Pollio, et incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lactæ domum referent distenta capellæ
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes, et facta parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus:
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite fusis,
Concordes stabili fatorum numine Parcae.
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum!
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum:
Aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo!
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer; cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

PUBLII VIRGILII MARONIS

GEORGICORUM

LIBER IV.

Protinus aërii mellis coelestia dona
Exequar. Hanc etiam, Mæcenas, aspice partem.
Admiranda tibi levium spectácula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prælia dicam.
In tenui labor, at tenuis non gloria: si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hædique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres,
Et manibus Procne pectus signata cruentis.
Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes, et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus;
Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster inumbret.
Ut, cum prima novi ducent examina reges

Vere suo, ludetque favis emissa juventus;
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor.
Transversas salices et grandia conjice faxa:
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad æstivum solem; si forte morantes
Sparserit, aut præceps Neptuno inmerserit Eurus.
Hæc circum casiæ virides, et olentia late
Serpylla, et graviter spirantis copia tymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Augustos habeant aditus; nam frigore mella
Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illæ
Nequiequam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris
Sub terra fodere larem; penitusque repertæ
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.
Tu tamen et levi rimosa cubilia limo
Unge fovens circum, et raras superinjice frondes.
Neu propius tectis taxum sine, neve rubentes

Ure foco cancros: altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.
Quod superest, ubi pulsam hyemem Sol aureus egit.
Sub terras, cœlumque æstiva luce reclusit:
Illæ continuo saltus silvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem;
Contemplator: aquas dulces, et frondea semper
Tecta petunt; huc tu jussos asperge sapores,
Trita Meliphylla, et cerinthæ ignobile gramen:
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum,
Ipsæ consident medicatis sedibus; ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint, (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuoque animos vulgi, et trepidantia bello
